Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

quam bonus. non tantum quid meminerit et quid intellegat uerum etiam quid uelit
adtenditur. non quanta flagrantia uelit sed quid uelit prius deinde quantum uelit.
Tunc enim laudandus est animus uehementer amans cum id quod amat uehementer
amandum est. Cum ergo dicuntur hec tria ingenium doctrina usus. primum horum conside
ratur in illis tribus quid possit quisque memoria intelligentia uoluntate. Se
cundum eorum consideratur quid habeat quisque in memoria et intelligentia. quo stu
diosa uoluntate peruenerit. Iam uero tertius usus in uoluntate est pertractante illa
que memoria et intelligentia continentur siue ad aliquid ea referat siue eorum
fine delectata conquiescat. Uti est enim assumere aliquid in facultatem uoluntatis.
frui est autem uti cum gaudio non adhuc spei sed iam rei. Proinde omnis qui fruitur utitur.
assumit enim aliquid in facultatem uoluntatis cum fine delectationis. Non autem
omnis qui utitur fruitur si id quod in facultatem uoluntatis assumit non propter illud
ipsum sed propter aliud appetiuit. Hec igitur tria memoria intellegentia uoluntas.
quoniam non sunt tres uite sed una uita nec tres mentes sed una mens. consequenter
utique nec tres substantie sunt sed una substantia. Memoria quippe quod uita
et mens et substantia dicitur ad seipsam dicitur. Quod uero memoria dicitur ad aliquid re
latiue dicitur. Hoc de intellegentia quoque et de uoluntate dixerim. et intelli
gentia quippe et uoluntas ad aliquid dicitur. Uita est autem unaqueque ad seipsam et
mens et essentia. Quocirca tria hec eo sunt unum quo una uita una mens una essentia.
et quicquid aliud ad seipsa singula dicuntur etiam simul non pluraliter sed singu
lariter dicuntur. eo uero tria quo ad se inuicem referuntur. que si equalia non essent non
solum singula singulis sed etiam omnibus singula. non utique se inuicem caperent. Neque
enim tantum a singulis singula uerum etiam a singulis omnia capiuntur. Memini
enim me habere memoriam et intellegentiam et uoluntatem. et intelligo me
intelligere et uelle atque meminisse. et uolo me uelle et meminisse et
intelligere. totamque meam memoriam et intelligentiam et uoluntatem simul me
mini. Quod enim memorie mee non memini non est in memoria mea. Nichil